Ju. C. Huygens.

K. 114

Gratulor Musis et ingenuis disciplinis, Vir nobiliss: atq amplissime,
te illis fautorem obtigisse, qui eas et ingenio tuo, et auctoritate pluri-
mum augere potes. Gaudent omnes solui hoc sydere, quicunque illarum
sacris operantur: multi ad ea excitantur, quo à te amari queant. hoc
autem nullus non vehementer optat, qui te et virtutem novit. Idcoque
doleo latebras, quas Lynceus ille Gallus captat, nobis omnibus et quoq
ipsi hac parte obesse; quippe quae faciunt ut in magnarum rerum con-
templatione magnam adeo animam non videat. Quamvis enim in eum
finem ipse lateat, ut postea tanto magis luceat in publicum; non
dubito tamen, quin illa ejus virtus promptius atq efficacius se exe-
reret, si contingeret illum conjungi tecum, astro congenere et
maximè benigno. tantum in mentem illam posset virtutum tuarum
splendor et amica vis! Ita judicavi dudum; ac proinde ambivi proxenetae
nomen et gratiam: at vero obstitit hactenus, quod literarum commercium
prout mihi cum illo esse solet, aliquandiu interruptum fuit, ex quo
communis amicus noster Elichmannus istuc non commeavit: neq
mihi ad illum aditus alia via patet. decreveram hisce ferijs excur-
rere, et percunctando investigare Philosophum humanissimum;
qui inventus, se amicis talem probet, ut quaesivisse ipse videatur.
Interea tamen significatum mihi fuit, dioptrica ejus, de quibus inter
nos sermo fuit, ad finem esse perducta. arridet quidem mihi fun-
damentum eorum; omninò tamen probari non potest absque exacti-
oris sensus testimonio, quo firmandae sunt Mathematum naturalium
hypotheses. neque de primis naturae particularis legibus aliter
arbitrari fas est. disposita quidem jam mihi quaedam sunt ad
capiendum rei experimentum, eaque operâ in tui gratiam, et testandae
observantiae ergò, praeteritis diebus defungi decreveram; at destituit
me liberior Solis radius, ad eam rem expetitus; et tentantem etiam
hodie elusit. Quare jam nunc aliam normam mihi strui jussi, quâ
etiam ad lucernam uti potero. Si experimenta opinioni votoque
meo convenient, primus ego sustollam manus: et si laudator videar
parum idoneus, praecentor saltem fuero ipsius famae. de successu
te posthac certiorem facio: nam religio mihi est diutius silere
ad Ampl. tuas literas, favore et humanitate plenas. quare nunc
hisce meis studium et diligentiam tibi addictam volui, quam ad
hoc Mathema adhibere est animus, ut aliquo saltem pacto inge-
nuum affectum quo te colo et observo, probare queam.
Miratus fui ad me redire Balduin, quem dudum, et quidem liben-
ter feci tuum: namque prospectum mihi erat de exemplari
alio; eumque auctorem placere tibi, et usui esse posse, gaudebam.

Quamobrem

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
K114
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/677

Quamobrem rogo ne recuses levidense munusculum, voluntatis majoris et meli-
ris tesseram. Tum quoque aequi boniquè consulas aliud nunc exem-
substitui, quò mihi servem Heronis Belopoeica; quae à te haud desi-
ratum iri scio. Si quid porrò quantulumcunque penus meae fuerit, quod
faciat ad palatum tuum, impera, et volup tuo perfruere. nihil enim
gratius vel optatius evenire mihi possit, quam morem tibi gerere, et
aliquatenus placere. Hoc affectu me Ampl. commendo Tuae: eique
et matronarum decori ejus conjugi, ac toti praeclarae familiae vestrae
felicitatem perpetuam precor, et affinitatis nuper junctae fructum
laetissimum exopto. Vale et obstrepenti mihi ignosce. Dabam Lugd. Bat.
XVI die Apr. CIϽIϽCXXXII

Tuae Ampl.

addictissimus

J. Golius



© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
K114
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/677

Jas Golius, a very learned Professor of Arabic at Leyden, author of Lexicon Arabico-Latinum &c. – b. 1596; d. 1667.
23

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
K114
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/677